S. D. Omnes ita sumus affecti, ut nostras calamitates iudicemus esse maximas, cum maioribus multo saepe sint obnoxii, quos beatos nos & florentes praedicamus. Nec raro luctanti mihi cum meis perturbationibus, allevatur animus cogitatione illius dicti quod est apud Herodotum, ὅτι εἰ πάντες ἄνθρωποι τὰ οἰκήια κακὰ ἐς μέσον συνενείκαιεν, ἀλλάξασθαι βουλόμενοι τοῖσι πλησίοισι, ἐγκύψαντες ἂν ἐς τὰ τῶν πέλας κακά, ἀσπασίως ἕκαστος αὐτῶν ἀποφεροίατο ὀπίσω τὰ ἐσενείκαντο. Nolim ea, quae hostium nostrorum pessimis artibus creata nobis, mala sustinemus commutari cum illis, in quae ipsi sese coniiciunt κακὸν κακῷ ἰᾶσθαι ἐφιέμενοι. Cal. Augusti cum Flacio commissus est Victorinus βραβεύοντος τοῦ ἡγέμονος. Sed quo alterutrius successu, quem finem & exitum decertatum sit, nondum constat. Conditionem Victorini fuisse difficiliorem non dubium est, qui ad conflictum vinctas manus & ligatam attulit linguam, & quod durius est multo, astrictam ad silentium iuramento conscientiam. Evanescat haec tyrannis quam Pontificia gravior est. Ita καπνὸν δουλείας …γοντες, ut apud Platonem dicitur, εἰς πῦρ δούλων …σποτείας ἐνεπέσουμεν. Ego assumere & usurpare quandam statui τῆς philosophia sanctae & beatae animae soceri mei, hoc est feram & dissimulabo quantum potero, etsi mihi difficile hoc futurum prospicio, si socerum vehementius ~~ima~~ tractari videro. Et cur in mortuum praeter meritum

C 107 f. 13.1